



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 184. Congregatio in caussa Hieronymi Pragensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

acerba, quam fuerat prima. In ea deplorat natas in Concilio factiones, scandalosas de loco ac sede altercationes, aperte de sententia Parisiensis Episcopi a Cardinalibus rescissa, tanquam de attentato contra jus Episcoporum conqueritur, & ad finem a Concilio petit, ut horum Cardinalium sententia, cunctaque contra Parisiensem Episcopum actitata irrita declararentur.

Sæcul. XV.
A.C. 1416.

§. CLXXXIV.

Congregatio in causa Hieronymi Pragensis.

Præcipue ob causam Hieronymi Pragensis die vigesima septima Aprilis indicta est Congregatio, plurimorum frequentia admodum celebris. Aderant Elector Palatinus, omnes Cardinales, Prælati, Doctores, Regum & Principum Legati, plurimique Nobiles Viri. Ante omnia petitum fuit a Synodo, ut Episcopus Ariminensis, quem dictæ Ecclesiæ capitulum elegerat, potius postularetur, sed hæc causa ad futurum Pontificem remissa creditur. Postmodum alius Advocatus Electionem Archiepiscopi ab Ecclesia Senonensi factam a Synodo confirmari petiit. Contra hanc electionem Procurator Capituli Lugdunensis Ecclesiæ excepit, eoquod Ecclesia Senonensis

Lug-

Sæcul. XV.
A. C. 1416.

Lugdunensi subiecta esset, & tam huius protestatio, quam illius supplicatio in publicas relata est tabulas. Tandem causa Argentinensis Episcopi tractari cœperat, & Procuratores Capituli contra Monitorium exceperunt. Natæ ex in magnæ contentiones, quibusdam hoc monitorium esse nullum censentibus, aliis a Concilio tanquam validum declarari petentibus. Quapropter dilatum est hoc negotium, ut Hieronymi Pragensis causa reassumi posset.

§. CLXXXV.

Accusationum capita contra Hieronymum Pragensem.

Vid. supr.
s. CXLIV.

Hieronymus equidem recantaverat, sed tamen de sinceritate suæ revocationis valde dubitatum fuit, ac ideo aliis injunctum Commissariis, ut illum penitus examinarent, veramque ejus animi sententiam explorarent. Ergo coram confesso producitur, Joanne Rocha illos prælegente Articulos, de quibus jam interrogatus fuerat, unacum responsis, quæ suis dederat Commissariis. Sed Promotor Synodalis plures alios superaddidit, petens, ut de illis interrogatus, vel affirmaret vel simpliciter negaret non concessa amplius excurrendi copia; si vero in suis erroribus contumax persisteret, brachio